

bro superiore commonui (*Supra, lib. 3, nn. 22, 23*). Ne
 « animam sic dicas ex Deo, ut eam non de nulla,
 nec de alia, sed de sua natura creaverit : » aut « quod
 per infinitum tempus, atque ita semper animas det,
 sicut semper est ipse qui dat : » aut « animam me-
 ritum aliquod perdidisse per carnem, quod habuerit
 ante carnem : » aut « animam per carnem reparare
 habitudinem priscam, perque ipsam carnem renasci,
 per quam meruerat inquinari : » aut « quod anima
 ante omne peccatum meruerit esse peccatrix : » aut
 « infantes sine regeneratione Baptismatis mortuos ¹,
 ad indulgentiam pervenire originalium peccatorum : »
 aut « quos Dominus prædestinavit ad Baptismum,
 prædestinationi ejus eripi ² posse, et ante defungi
 quam in eis quod Omnipotens prædestinavit impleri : »
 aut « de his qui priusquam baptizentur expirant,
 dictum esse quod scriptum est, *Raptus est ne malitia
 mutaret illius intellectum* » (*Sap. iv, 11*); atque ad
 hunc sensum cætera pertinentia : aut « earum aliquas
 mansiones extra regnum Dei esse, quas multas in
 domo Patris sui Dominus dixit esse » (*Joan. xiv, 2*):
 aut « sacrificium corporis et sanguinis Christi pro his
 qui non baptizati de corpore exierint offerendum : »
 aut « aliquos eorum qui sine Christi Baptismate mo-
 riuntur, in paradysum interim recipi, ac postmodum
 et regni cælorum beatitudinem consequi. » Hæc præci-
 pue cave, fili, nec cognominari Vincentius delecteris,
 si vis esse victor erroris. Nec te quando aliquid nescis,
 existimes scire : sed ut scias, discere nescire. Neque
 enim aliquid in occultis Dei operibus ignorando, sed
 temere incognita pro cognitis astruendo, et falsa pro
 veris proferendo ac defendendo, peccatur. Ignorantiam

vero meam, utrum animæ hominum novæ fiant, an
 de parentibus (quas tamen a creatore Deo non de ip-
 sius substantia fieri dubitare fas non est), aut non
 debere reprehendi, aut ab eo debere, a quo potest
 docente et auferri : et habere in se animas corporum
 similitudines incorporeas ; ipsas autem non esse cor-
 pora : et salva distinctione animæ et spiritus, etiam
 universaliter animam spiritum nuncupari, puto quod
 persuaserim Charitati tuæ. Si autem persuadere non
 potui, utrum tamen ea dixerim quæ persuadere de-
 buerint ¹, qui legent potius judicabunt.

39. Si qua sane alia, quæ plurima in tuis libris
 emendanda mihi videntur, scire fortasse desideras,
 venire tibi non sit onerosum, non tanquam discipulo
 ad magistrum, sed primævo ad grandævum, forti ad
 infirmum. Etsi enim non eos edere debuisti, majore
 tamen et veriore gloria quisque correctus sua confes-
 sione reprehenditur, quam cujuslibet errantis ore
 laudatur. Quamvis in eorundem recitatione librorum
 auditores et laudatores tuos non omnes ista quæ sana
 doctrina improbat, vel ante sensisse, vel ad ea tibi
 consensisse crediderim : sed acie mentis ipso tuæ
 recitationis impetu cursuque perstricta, hæc parum
 advertere potuisse ; aut certe etiam illos qui advertere
 potuerunt, non in te rerum liquidissimam veritatem,
 sed verborum affluentiam et ingenii facultatem indo-
 lemque laudasse. Plerumque enim laudatur ², præ-
 dicatur et amatur eloquium in spe juvenis ; etsi non-
 dum habeat maturitatem fidemque doctoris. Quapro-
 pter ut et tu recte sapias, et alios non tantummodo
 delectare possit, verum etiam ædificare, quod loque-
 ris ; curam te oportet gerere de sermonibus tuis, re-
 motis plausibus alienis.

¹ Plures Mss., sine regenerationis Baptismate mor-
 tuos.

² Manuscripti prætereunt, prædestinationi ejus eripi ;
 habentque, posse ante defungi, nec in eis quod Omnipoten-
 tens, etc.

¹ Sic duo Mss. At editi, debuerim.

² Manuscripti, plerumque enim prædicatur, omisso, lau-
 datur.

ADMONITIO

IN OPUS CONTRA DUAS EPISTOLAS PELAGIANORUM.



Bonifacio Romanam Ecclesiam post Zosimum gubernante, duæ Pelagianorum, quæ per Italiam secreto cir-
 cumferebantur Epistolæ detectæ sunt Catholicorum quorundam vigilantia, delatæque ad eundem Bonifacium
 papam. Alteram Julianus, ut dicebatur, Romam miserat : alteram autem decem et octo velut episcopi, idem
 nimirum Julianus, et cum eo forte Florus, Orontius, et cæteri ex Pelagianis in Ephesina synodo memorati, alii
 que Thessalonicam communi nomine, ad Rufum ejusdem loci episcopum direxerant. Utramque Epistolam Bo-
 nifacius curavit Augustino mittendam per Alypium episcopum : qui Alypius ex Italia in Africam sub anni 419
 finem reversus, non eas tantum Epistolas, sed etiam excerpta de Juliani libris quædam sibi a Valerio comite
 missa, secum reportavit. Adversus excerpta librum de Nuptiis et Concupiscentia secundum condidit Augusti-
 nus, anno forte 420 ; ac sub idem haud dubie tempus quatuor libros contra duas Epistolas Pelagianorum elu-
 cubravit, Bonifacio papæ nuncupatos : quos subinde libros in Retractationum serie opusculis dicto anno 420
 compositis proxime subjunxit.

Idem libri Alypio rursum in Italiam navigante delati sunt ad Bonifacium : nam de illis Julianus in libro primo
 Operis Imperfecti, cap. 85, « Sicut in his libris, » inquit, « quos nunc per Alypium ad Bonifacium misisti. »
 Qui de his quoque ibidem, libro secundo, cap. 178, scribit, « Quod tam nefarium est, ut cum a nobis in ea
 Epistola, quam ad Orientem misimus, vobis fuisset objectum, tu in his libris, quos nuper ad Bonifacium mi-
 sisti, negando a te propulsare coneris. » Quod vero ad eam Epistolam attinet, quæ Romam a Juliano missa
 ferebatur, cujus Epistolæ verba hæc Augustinus in libro secundo de Nuptiis et Concupiscentia, n. 2, attulit,

« Dicunt etiam istas quæ modo aguntur, nuptias a Deo institutas non fuisse, quod in libro Augustini legitur, contra quem ego modo quatuor libris respondi: » illam Julianus suam esse inficiatur in libro primo Operis Imperfecti, cap. 18. « Facit quoque, » inquit, Epistolæ mentionem, quam a me ait Romam fuisse directam: sed per verba quæ posuit, nequiyimus quo de scripto loqueretur agnoscere. Nam ad Zosimum quondam illius civitatis episcopum super his quæstionibus duas Epistolas destinavi, verum eo tempore, quo adhuc libros exorsus non eram. » Respondet Augustinus: « Hæc Epistola non est ad Zosimum, » id est, non ad eum nominatim scripta, « sed ad eos seducendos, qui Romæ possent tali suasionem seduci. Sed si eam non agnoscis, ecce non sit tua. » Suspicamur nos, Julianum dissimulandi ansam capere ex istis verbis: « Quod in libro Augustini legitur contra quem, » etc., quæ forte quispiam postea in margine annotavit, atque inde alius in textum Epistolæ transtulit.

In primo libro subsequentis operis, Epistolæ a Juliano, ut ferebatur, Romam missæ respondet Augustinus.

In secundo et aliis deinceps alteram excutit Pelagianorum Epistolam ad Rufum Thessalonicensem. Ostendit in primis Catholicos cum a Pelagianis abhorrent, non in Manichæos incidere. Calumniam prævaricationis in Pelagii Cœlestiique sub Zosimo damnatione admissæ propulsat a Romanis clericis. Gratia nomine nec fatum asseri a Catholicis, nec personarum acceptionem Deo tribui demonstrat.

In tertio exponit contra Pelagianam hæresim quid vere Catholici dicant de Legis utilitate, quid de Baptismi effectu ac virtute doceant, quid de utriusque Testamenti discrepantia, quid de Prophetarum et Apostolorum justitia et perfectione, quid de appellatione peccati in Christo, quid postremo de præceptorum in futura vita impletionem profiteantur.

In quarto denique insidias aperit, quæ reliqua parte Epistolæ secundæ Pelagianorum, in quinque doctrinæ eorum capitibus latent, in laude scilicet creaturæ, laude nuptiarum, laude Legis, laude liberi arbitrii, et laude sanctorum: atque ad finem libri profert Cypriani et Ambrosii testimonia pro catholica fide, quædam de originali peccato, alia de gratiæ adjutorio, ultima de præsentis justitiæ imperfectione.

In subsequentes libros vide lib. 2, cap. 61, Retractationum, tom. 1, col. 655, a verbis, Sequuntur libri quatuor, usque ad verba, Celeberrima prædicante. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA


DUAS EPISTOLAS PELAGIANORUM

AD BONIFACIUM ROMANÆ ECCLESIAE EPISCOPUM

Libri quatuor^(a).

LIBER PRIMUS.

Epistolæ a Juliano, ut ferebatur, Romam missæ respondet Augustinus: ac primum catholicam doctrinam vindicat ab illius calumniis, tum Pelagianorum hæreticum sensum in ea fidei professione, quam Epistolæ auctor Catholicis opponebat, latentem reteggit et refellit.



CAPUT PRIMUM. — 1. *Exorditur a Romani episcopatus præeminentia. Noveram te quidem fama celeberrima prædicante, et frequentissimis atque veracissimis nuntiis quanta esses Dei gratia plenus acceperam, beatissime atque venerande papa Bonifaci. Sed posteaquam te etiam præsentia corporali frater meus vidit Alypius, acceptusque a te benignissime ac sin-*

cerissime, mutua miscuit dictante dilectione colloquia, tecumque convivens, et parvo licet tempore, magno tibi junctus affectu, se simul et me refudit animo tuo, teque mihi reportavit in suo, tanto major in me tuæ Sanctitatis est facta notitia, quanto certior amicitia. Neque enim dedignaris, qui non alta sapis, quamvis altius præsideas, esse amicus humilium, et amorem

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Contra duas Epistolas Pelagianorum libri quatuor recogniti sunt ad vaticana duo exemplaria manuscripta et ad Gallicana tria, unum scilicet abbatiae Beccensis, alium abbatiae sancti Petri de Pratellis, tertium abbatiae S. Michaelis de monte in periculo maris; et ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., t. 1, memoratas. M.

(a) scripti anno 420, aut paulo post.